DE

TENERAE AETATIS TYPHO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE ADIPISCENDOS

ET DIE XXV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXII.

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS FRIEDRICH

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

B. POYDA, DR. MED.

W. GEISS, DR. MED.

HALIS SAXONUM

TYPIS SCHMIDTIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

TH. WEBER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
INSTITUTI CLINIC. MEDICI DIRECTORI

PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI

HASCE PAGELLAS

PII AC GRATI ANIMI

SIGNUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

De tenerae aetatis typho.

Febris typhosa quamquam haud raro in tenera aetate reperitur neque indigna est quam diligentissime perscrutemur, diligentius tamen his demum temporibus a viris doctissimis pertractari coepta est. Quo maxime pertinent quaestiones „Taupini, Rillieti Barthezi“: e quibus colligitur nonnulla haud levia inter puerilis aetatis atque hominum adultorum typhum intercedere discrimina. Atque anatomicam rationem si respexeris, diversitatem in eo maxime esse positam reperies, quod glandularum Peierianarum permutatio fere semper in formam redigatur, ut nostro sermone utar „der weichen Platten“, (Griesinger) et quod incrustatio ulceratioque perraro in corpore mortuo conspiciantur. Quae cum ita sint, perforationes etiam atque haemorrhagias intestinales in parvulis typho laborantibus raro tantum erumpere apparet. Splen vero etiam et glandulae meseraicae in pueriti aetate tumescunt nec abest meteorismus; sed vomere parvuli multo saepius solent quam adulti. Roseolae autem nullam apud utriusque aetatis aegrotos dissimilitudinem praebent. Lingua non modo non proprie hirsuta sed potius humida est. Ac magna macies saepenumero sudorque gravis apud illos typhi comites esse solent; sed de-

lirii tanta haud unquam quanta apud aegrotos longius aetate provectos vis evadit. Quo accedit, ut parvulorum aegrotorum convalescentia protrahi novisque fere semper morbis, quominus prospere procedat, impediri soleat. E quibus potissimum commemoro tuberculosim, Anaemiam, aurium affectionem, furunculosim, alia id genus. Atque etiam commemoratione dignum est, non solum robustos pueros, sed eos etiam, quibus minus bene constitutum corpus natura tribuit, typho affici, ac maxime quidem, qui glandulis lymphaticis, ossium affectionibus, exanthematibus laborant. —

Cum mihi aliquando in ea hujus urbis parte, quam vocant „Glaucha,“ ducibus illustrissimo professore Webero et doctissimo Mordtmanno occasio data esset observandae cleotyphorum epidemiae, summa opera elaboravi, ut et causas et totum decursum hujus morbi cognoscerem. Quo typho viginti tres pueri erant implicati: quapropter morbi rationes et conditiones maxime varias noscere nobis licebat. Durabat autem epidemia inde a mense Novembre usque ad proximi anni mensem Februarium, eaque quamquam acuta omnino non fuit, tamen me non prohibet, quominus summam observationum mearum nunc proferam.

Jam copiosa unius morbi descriptio sequitur:

Augustus Hollbergus, mercenarii filius, decem annos natus, curatur a die XIV mensis Decembris anni 1861 usque ad diem IX mens. Februar. anni 1862.

De morbis prioribus nihil constat. Die XIV mens. Decembr. lecto affixus est. Paucis diebus ante languidus et tris-

tis fuit. Inquietis somnis cruciatur; capitis dolor, inde a die XIV/XII vertigo, deliria ultimis noctibus exsistunt. Algor deest, gravis aestus maxime vespertino tempore et noctu, multa sitis potissimum a die XIV/XII. Nulla haemorrhagia nasi; dolore in regione sacra ab initio cruciatus est; cibi fastidium magnum est. Vomitus die 14/XII bis mane fit, sordes vomitae acerbum gustum habent, sedes vehementer sunt retentae. A die 17 XII multae dejectiones flavo colore. Alvi dolor initio in epigastrio, deinde per totam alvum. Secretio urinae sine impedimento. Exigua tussis sine excreatione, sine doloribus pectoris, sine dyspnoea.

Status praesens. 22/XII.

Corpus vitae aetati conveniens et bene nutritum, musculi satis exculti, laxiores; cutis pallida, bene affixa, innumerabilibus pulicis punctiunculis tecta. Facies habet aspectum somniculosum; genae sunt ruberrimae, pupillae valde dilatatae lente visa percipiunt; conjunctiva bulbi paulum rubescens. Labia sicca et fuliginosa. Nullus alarum narium motus animadvertitur; heres labialis deest, gingiva non sanguinea, turgida; fauces rubrae; lingua sicca et hirsuta, in marginibus et in apice ruberrima; foetor oris vehemens. *Collum* legitimum; glandulae leviter turgidae. *Thorax* brevis, aeque formicatus, respirationes ubivis aequabiliter acceleratae; cor palpitat in spatio inter costam quintam et sextam neque praeter normam est dilatatum; percussio non praeter normam. Auscultando percipitur per totos pulmones acutissimus spiritus conjunctus cum paucis rhonchis sonoris; soni cordis depressi quidem et tenues sed plane integri. Attenuatio cordis regularis, hepatis non trans inferiorem thoracis marginem pertinebat, splenis attenuatio 6 Cm.: 9 Cm. In epigastrio jam a die 16/XII roseolae conspiciuntur, abdomen paullum inflatum, regio dextra iliaca tacta

vehementi dolore afficitur. Dorsum et extremae partes non praeter naturam. Urina sine albumine flavo, chlorides non valde imminutae. Faeces tenues et flavae.

22/XII vespertino tempore. Arteriarum pulsus in sedendo undulans 132, in cubando 146. Infus. Ipecarnantae gr. vi I ℥iii mit Aq. lauroceras.

23/XII mane: somnus exiguus, multa in somno verba aegrotus protulit. Splenis attenuitas 7 Cm.: 10 Cm; leves sudores, parvus capitis dolor.

24/XII—31/XII progressus naturae conveniens et incipiens defectio morbi symptomatum. Die 30/XII mane levis somnus, dolor in aure sinistra. 31 XII vespertino tempore: querelas aegrotans effudit per totam noctem; dolores capitis potissimum in frontis regione; una sedes ad normam; novae reseolae animadvertuntur; abdomen inflatius;

2/I 62. Status idem; perpetuus somnus; lingua, quae jam uvida fuit, sicca facta est.

4/I 62. Aegrotus majore delirio captus cubiculum etiam relinquere cupit; tussis vehementior fit, alvus dolorosior.

5/I 62. mane deliria eadem, collapsus imminens, tuscis et lingua ut antea.

Vespertino tempore pulsus 140, exiguus, intermittens; maximae querelae de capitis et alvi doloribus. Splen 8 Cm; 12 Cm. et sub arcu costarum eminens.

7/I 62. Collapsus evanescere coepit.

8/I 62. Aegrotus interrogatus dat responsa; somnus quietior; abdomen minus irritabile.

9/I 62. Somnus tranquillior; aegrotus in statu sopori simili versatur; duae tenues typosae sedes; Shinin. sulfer.

10/I 12. Sensorium rediit; dolores capitis et alvi leviores; splen 7 Cm.: 10 Cm.

12/I 62.; Tussis levioris momenti; una sedes sine dolore; languor, somnus continuus; facies meliorem praebet aspectum; lingua uvida.

13/I 62. Cibi appetentia; alia ut antea.

14/I 62. Idem status; aegrotus die multum dormit; furunculus existit in natibus.

17—20/I 62. Nutritus prospere non progreditur; sudores vehementes et die et nocte; edendi cupiditas acrior paullatim redit; Sedes regulares et potius retentae; urina non praeter normam; tussis prorsus deest; somnus noctu quietus.

1/II 62. Aegrotans jam ex octo diebus convalescere coepit; lecto decedit et hilarior omnino est; cibos valde appetit; sudores remittunt.

9 II 62. Aegrotans dimittitur.

Jam propositum mihi est, temperationis pulsusque et respirationis rationem certis numeris significare:

		Temperatio.	Pulsus.	Respiratio.
22/XII 61.	Mane.	31,4	132	38
	Vespert.	31,4	132	38
23/XII 61.	M.	31,2	120	34
	V.	31,8	136	32
24/XII 61.	M.	31,8	124	36
	N.	31,9	124	34
25/XII 61.	M.	31,6	120	40
	V.	31,8	125	36
26/XII 61.	M.	31,4	120	32
	V.	31,6	120	34
27/XII 61.	M.	30,4	128	32
	V.	31,5	116	40
28/XII 61.	M.	30,8	124	36
	V.	31,2	116	34
29/XII 61.	M.	30,5	104	28
	V.	31,4	112	36
30/XII 61.	M.	30,9	112	26
	V.	31,2	116	24
31/XII 61.	M.	31,2	120	32
	V.	32,2	136	40

		Temperatio.	Pulsus.	Respiratio.
1/I 62	M.	30,9	112	20
	V.	32,0	124	32
2/I 62	M.	31,5	136	34
	V.	32,0	124	30
3/I 62	M.	31,0	124	30
	V.	32,3	124	28
4/I 62	M.	31,4	132	26
	V.	32,4	136	28
5/I 62	M.	32,2	132	28
	V.	31,8	140	40
6/I 62	M.	31,8	140	42
	V.	32,0	128	30
7/I 62	M.	31,8	128	32
	V.	32,0	130	36
8/I 62	M.	31,2	112	32
	V.	31,0	116	28
9/I 62	M.	30,6	104	28
	V.	31,9	92	28
10/I 62	M.	30,6	120	34
	V.	31,8	120	38
11/I 62	M.	30,7	112	36
	V.	31,8	128	36
12 I 62	M.	30,7	110	34
	V.	31,8	114	36
13/I 62	M.	30,5	110	36
	V.	31,6	116	34
14/I 62	M.	30,2	112	30
	V.	31,7	116	30
15/I 62	M.	30,0	104	28
	V.	31,9	120	26
16/I 62	M.	30,4	110	22
	V.	31,4	118	24
17/I 62	M.	29,8	100	24
	V.	30,4	100	28
18/I 62	M.	29,6	112	24
	V.	30,4	110	24
19/I 62	M.	29,5	100	24
	V.	29,6	100	24
20/I 62	M.	29,4	116	18
	V.	29,4	116	18

Aegroti pondus fuit

die	29 XII	61	:	40 ℔	5	Lth.
-	5/I	62	:	40 -	—	-
-	12/I	62	:	39 -	15	-
-	19/I	62	:	38 -	5	-
-	26/I	62	:	37 -	12	-
-	2 II	62	:	37 -	17	-
-	9/II	62	:	38 -	5	-
-	10/II	62	:	39 -	17	-
-	28 II	62	:	40 -	15	-

Longum est eadem ratione etiam ceteros casus singulatim explicare: satis est, hunc unum copiasa exornavisse narratione.

Jam epicriticae diversae non solum de illo uberius descripto casu, sed etiam de reliquis omnibus observationes sequuntur. Ac primum dicam de causis, unde orta sit illa epidemia, deinde morbum ipsum perstringam easque percurram res, e quibus variae permutationes natae sunt, tum de diagnosi et Prognosi, denique de Therapia a nobis adhibita paucis exponam.

Aetiologia.

Propria hujus typhi causa satis certe definiri non potest; nec vero eum contagii cujusdam vi ortum esse recte statui mihi videtur, propterea quod eodem tempore nulli propemodum ileotyphi in adultis sunt observati. Coortus autem est autumno praecipite, quod anni tempus nonnulli autores maxime tali epidemiae favere censent, tenuitque mediam in hiemem. Saepe etiam locorum naturam conferre ad gignendam epidemiam maximeque ei obsecundare ea loca, ubi in angusto spatio plerique homines congregati commorentur quis nescit? Quid autem? Nonne in illo vico, qui compositus est ex angustis plateis atque domiciliis male aedificatis hominesque infimae sortis ubi sedem habent, facile fieri potest, ut morbus periculosus erumpat? Illud vero dici non potest, eum vicum etiam eam ob causam, quod situs sit ad flumen, typho favisse. Haec enim fere omnium autorum est sententia, loca tam edita, quam profunda atque etiam flumine alluta typho posse corripi.

Sed sine dubio a nonnullis haud recte affirmatur, initia hujus morbi inde a cibi usu esse repetenda, praesertim cum satis superque constet, incolas quoque aliorum vicorum eisdem frui alimentis. Quod attinet ad vitae aetatem, infans minimus natu nondum egressus erat annum aetatis secundum; at vero

tamen pathologica etiam typhi indicia exquisitius in eo apparuerunt. Etenim splenis magnitudo eo tempore, quo summus exstitit tumor, erat 4 Cm. : 6 Cm. Reliqui autem aegrotantes habebant quinque et in undecim annos, inclinante se nullo ne uno quidem ad affectionem quandam animi aut corporis typho faventem. Atque omnes, priusquam in morbum inciderunt, summa corporis integritate fructi erant, excepto uno puero, quem tuberculosi affectum fuisse suspicati sumus. Quae suspicatio eo magis firmata est, quod idem ille nonnullis hebdomadibus post huic morbo succubuit. Quamquam perraro fieri solet, ut idem homo bis typho tentetur, nobis tamen etiamtum hujus rei exemplum non defuit. De quo infra copiosius dicam.

De pathologica anatomia nihil possum commemorare proptera quod observationes omnino non sunt institutae.

Symptomatologia.

Priusquam explanabo cujusmodi hujus morbi gradus propriaeque notae siut, pauca et de singulis ejus formis et de toto progressu proferre mihi liceat.

Observationes autem nostrae duo omnino genera discernebant, quorum alteri lenioris formae, alteri gravioris significatio tributa est. Atque leni forma potissimum minores natu impliciti erant, eaque tres per hebdomades plerumque durabat. Cujus praenuntii languor et exigua fames erant: de quibus aegroti valde conquesti sunt. At vero summa eminuit nota propria, quod plurimi acerrimo vomitu antecedente in morbum inciderunt. Quo lenis accessit febris conjuncta cum dolore capitis et alvi. Alvo autem plurimi erant nimis astricta somnumque capere non poterant, quin etiam primis noctibus aliquot pueri quatuor annorum mente capti aliena loquebantur. Ac praeterea etiam horror terrorque in iis animadvertebantur. Maxime autem eximiae typhi notae, ut roseolae, splen major,

strepitus in regione iliaca dextra, alvi dolor, venter tumidus, modo paucos dies permanserunt et paullatim evanuerunt. Nec lingua propriam formam diu retinuit, sed per totum morbi tempus uvida erat. Febris autem raro diutius quam dies quatuordecim stetit. Veniamus nunc ad alterum morbi genus. Gravior ileotyphi forma maxime infantes pueros puellasque septem et in duodecim annos natos corripuit, praeter unum puerum novem annorum. Mirum erat, quod is jam antea aliquando hoc morbo affectus fuerat, quam ad opinionem firmandam accurata anamnesis diligensque ejus quo nunc tenebatur morbi perscrutatio satis contulit. Cum autem in nosocomio haud raro factum esset, ut typho correpti dicerent, quinto se jam vel sexto vitae anno febri nervorum defunctos fuisse, tamen facile nobis inde ex altera leviore morbi forma altera illa nasci posse videbatur gravior forma. In progressu autem gravioris morbi, ut fere plerumque fieri solet, maximae varietates in lucem prodibant. Saepius collapsus timorem nobis injecit, ne nonnulli aegrotantium morbo conficerentur. At vero exitus morbi fere apud omnes fuerunt prosperi, convalescentia autem lente tantummodo processit. Etenim typho sublato convalescentibusque aegrotis novi cujusque generis morbi coorti impediverunt, quominus celeriter ad finem sanatio perduceretur. Atque ut unius tantum exempli commemorationem faciam, puella undecim annos nata coxalgia et luxatione femoris implicata est, ac luxatio quidem summa scientia remota est, sed perpetua artuum sanies malam complicationem excitavit, ita ut saepenumero timendum esset, ne mors finem morbo imponeret. Etiamsi difficillimum est, totum morbi progressum in certas atque plane inter se diversas sejungere partes, equidem tamen nihilominus totam rem in tres periodos dividere conor

Nec vero causae mihi desunt, quibus eam divisionem confirmare possim. Cum enim typhus maxime tres per hebdomades manserit, quarum quaeque aliam a ceteris longe diversam morbi naturam in lucem protulit, id mihi respiciendum putavi. Prima autem periodus initia morbi continuit: in qua magis magisque crevit temperatio: at vero etiam remissiones, si rerum rationem habes, haud levis momenti repertae sunt. Arteriarum pulsus erat citatus gravisque ac jam undulans. Dolore capitis vehementissime cruciabantur aegrotantes idque malum multo magis auctum est calore, aurium strepitu, vertigine, tremore, alia id genus. Somno utebantur maximam partem inquieto, aut delirio plane interrupto; nec ullum desiderabant cibum. Quamquam constanter alvum dejiciebant, nonnunquam tamen de ventris doloribus clare gemebant. Urinam reddebant fuscam; cutis sicca et calida, facies plerumque erat tumida. Atque etiam nonnunquam sanguis e naribus prorupit. Secunda hebdomade febris ingravescebat remissionesque matutino tempore levis tantum erant momenti et conscientia plane etiam aliquoties plusve minusve deerat. Somniantes perpetuo summisse secum commurmurabantur ac ne bibendi quidem appetentiam habebant. Atque ut unum tantum exemplum proferam, puer, qui postero tempore somniorum suorum recordatus est, narravit se sibi visum esse apud pastorem quendam facere tirocinium. Meteorismus etiam nunc accrescebat, dejectiones fiebant crebriores, et maxime alvo soluta. Initio secundae hebdomadis saepe parvae roceolae apparuerunt, sed tribus diebus post non jam erant conspicuae. Ineunte tertia hebdomade remissiones haudquaquam leves matutino tempore animadvertimus: abhinc autem fere omnes aegrotantes alvo adstricta erant, ita ut aliquoties nonnisi oleo Ricini aut clysmatibus dejectiones reddi possent solutae. Jam vero rediit

conscientia, ac tam praeceps haec morbi inversio fuit, ut vix duobus peractis diebus plerique aegrotantes convalescere coepissent. Valde omnes emacuerant, eorumque qui graviore morbi genere laboraverant, tanta erat macies, ut timendum esset, ne absumerentur collapsu. Qui antea quiete deliraverant, eorum nunc nonnulli vehementissime concitati erant, ita ut lente tantum convalescerent. Atque maximo hac in re impedimento complicatio cum furunculosi, parotiditi, pneumonia, coxalgia, gravi bronchiorum catarrho erat.

Initium morbi.

Quam difficile sit praedicere, quo temporis momento enascatur typhus, cui ignotum est? Sed hoc certe minus de puerilis aetatis quam multo magis de adultorum typho dici potest. Nobis enim fere semper contigit statuere quo tempore febris initium captura esset: unde secutum est, ut etiam typhi invasuri etsi non horam, tamen diem facili opera statuere possemus. Plerumque autem vomitus certissimum erat indicium, nisi forte hoc unum excipere velis, quod duo pueri brevi ante typho correpti algore vehementique capitis dolore simulque gastricis molestiis conjunctis cum dolore in epigastrio affecti fuerint.

Temperatio.

Accuratae temperationis mensurae docuerunt, ejus progressum inter parvulos atque homines adultos nihil differre. Aucta autem est temperatio in nostris aegrotantibus magis magisque ad diem tertium, majoribus maximam partem remissionibus interpositis, summumque vespertino tempore gradum nacta est. Subinde aliquamdiu tam constans erat, ut decem et in quindecim dies, levibus modo mutationibus factis, eandem propemodum rationem retineret, nec nisi mane paullulum remitteret. Tertia hebdomade in eis qui celeriter convaluerunt, ad

aequam rationem lapsa, in reliquis aegrotis nullum temperationis discrimen observatum est. Attamen extrema tertia hebdomade, qua, ut modo vidimus, ad certum jam legitimumque gradum temperatio redacta erat, aliquoties per quatuor quinqueve dies leves mutationes in conspectum venerunt, eaeque majores tum semper evaserunt tempore vespertino. Ultima hebdomade nonnunquam etiam accidit, ut temperatio infra modum delapsa subito crescere coepisset. Summa autem a nobis observata temperatio erat 33,2 R. in puero, cui collapsus impendebat. Tertia hebdomade aucta est temperatio simulque exacerbatio apparuit, unde febris recidiva originem traxit. Quae temperationis ratio apud nonnullos cum novis roseolis auctisque alvi dejectionibus conjuncta fuit. Decrescente autem temperatione aegrotantes maximam partem multo sudore manabant. Simul cum collapsu bis accidit, ut vehementissime temperatio accresceret. Collapsus autem ortus est plerumque tertia hebdomade, quo temporis spatio temperatio matutina legitimam paene rationem habebat; vespertino autem tempore ea valde supra modum progrediebatur, ita ut perpetua esset mutatio inter temperationem matutinam et vespertinam. Interruptae alvi dejectiones nonnunquam temperationem valde augebant: soluta autem alvo illa aliquanto relapsa est.

Pulsus.

Pulsus arteriarum, qui fere semper celerrimus erat, apud aegrotantes minimos natu numerum justum ictuum 160 et in 180 consecutus est, in majoribus natu raro numerum ictuum 130 et in 140 excessit. Increscentes autem arteriarum ictus, surgentibus aegrotis, perraro a nobis initio morbi observati sunt; haec autem res, languidiori arteriarum pulsu cubantibusque aegrotantibus, haud raro evenit. Incrementum erat ictuum

decem et in viginti. Ultima hebdomade arteriarum pulsus, remittente eodem tempore temperatione, languidior factus est, ita ut nonnunquam numerum ictuum septuaginta non excederet. Pulsus dicrotus nonnisi in gravius aegrotantibus observatus est. In convalescentibus pulsus fere semper magis exiguus imbecilliorque erat quam in aegrotis : imminente autem collapsu nonnunquam plane intermissus et inconstans erat. In corde aegrotorum majorum natu aliquoties summissum percepimus strepitum aliquamdin perdurantem.

Cutem tangentibus nobis temperatio major facta nec raro naturam caloris mordacis quem vocant adepta esse videbatur. Facies maxima ex parte tumida erat, rubescentibus genis, nec excutientibus tamen sudorem. Is vero conversione morbi facta tam vehementer erumpere coepit, ut summam et molestiam et confectionem aegrotantibus pararet, utque remediis eum removere coacti essemus. Facies autem initio rubra erumpentibus sudoribus mirum in modum expalluit. Propria quidem nota initio languor fuit summaque fatigatio: ac minores natu maxime de pedum dolore questi perpetuisque somniis sunt cruciati.

Nutritus rationes.

Nutritus in graviori quidem genere morbi diversus omnio non fuit a reliquis morbis typhosis. Quam rem qui planius velit cognoscere, tabulam supra statutam inspiciat; ibi enim accurate varia typho laborantis pondera certis numeris circumscripta sunt. Macies initio potissimum tertiae hebdomadis apparuit indeque magis magisque in dies increvit. Quo minores natu erant aegroti, eo minus in hunc statum inciderunt eoque majore celeritate convaluerunt. Capilli excidere coeperunt tertia exacta hebdomade, ita tamen, ut non ita multo post novi crescerent; attamen non tam crebrum id

capillorum defluvinm erat, quam esse solet apud adultos. Unde venit, ut natu longe minimi capillos omnino non amitterent.

Digestiones.

Alvi dejectiones nonnulla discrimina praebuerunt, cooriente enim morbo maxime retentae et sequenti tempore solutae erant. Sed ejusmodi plerumque fuerunt, ut earum ejectionum, quas typhosas vulgo vocant, naturam ne minimam qnidem ostenderent. Ac minorum natu dejectiones per totum morbi decursum exceptis sex tantum diebus fere semper plane ad modum, bis autem terve per diem molles aut etiam retentae erant. Illis autem paucis diebus profecto etiam graves typhosae dejectiones factae sunt. Ac quotidianae gravius aegrotantium dejectiones numerum novem decemve et nonnunquam etiam quindecim expleverunt sedum. In una hujusmodi dejectionum typhosa omnino vis non subfuit. Atque eo temporis momento, quo summum gradum morbus nactus est, dejectiones inceperunt esse solutae, aegrotique ad secundam morbi periodum progressi sunt: abhinc maximam partem rectam rationem habebant ejectiones vel etiam propensae erant ad obstructionem, ita ut saepius certis remediis opus esset. Ad ejectiones non volunturias leviter aegrotantes nunquam et perraro tantummodo gravius morbo affecti adigebantur. Sanguineae ejectiones maxime extrema hebdomode secunda tertiaeque inibio, quin etiam semel convalescendi tempore factae sunt. Sanguis ejectus fere semper arctissime cum stercore commixtus erat: profusum ejus haud unquam profluvium animadvertimus, praeterquam quod perrarae omnino intestinorum erant haemorrhagiae. Nonnunquam etiam labes purpureae in sella conspectae sunt. Sed dejectiones alvi num vim omnino ad ipsum morbum habuerint, dijudicari non potest. Omnes paene

aegroti initio morbi vehementissimis alvi capitisque doloribus torquebantur: accuratae autem quaestiones satis demonstrant nonnisi epigastrium sensibile fuisse. Nec omnino diutius is status quam tres quatuorve dies perduravit, remisit enim simulatque alvi ejectiones accesserunt. Posteriori tempore regio iliaca dextra umbilicique regio dolore quodam affectae sunt, nec solum tactae, sed etiam intactae aegrotoque in statu sopori simili versante.

Atque etiam meteorismo aegroti non vacabant: is tamen num respirationem aliasque corporis functiones quopiam modo perturbaverit, certe dici non potest. Lingua extrema apud plerosque rubra, posterius hirsuta erat, mox autem dupliciter striata apparuit. Quamdiu aegroti aestu febrique vehementissime jactabantur, linguam habebant siccam; quae orto sudore uvida pallidaque facta est. At vero perraro lingua uvida omnino fuit ac sic periculosam semper morbi naturam indicavit. Levius aegrotantium lingua semper uvida fuit. Labia et cavum oris semper sicca erant: illa vero jam initio morbi saepe sicca fuerunt et fuliginosa, ita ut in convalescentibus parvae nonnunquam ulcerationes restarent. Quod attinet ad cibi potionisque fastidium atque ad gustum amarum, ea quoque omnia ab adultorum typho nullo modo differebant. Aegroti autem plerumque jam antequam prorsus convaluerunt cibos expetebant.

Vomitus qui conjunctus apud nonnullos cum algore tres dies duraverat, desiit postquam ileotyphus coortus est. Nos quidem summam illi algori vimtribuendam esse putavimus nec prorsus improbandum, si quis inde certum morbi initium ducere velit. Vomitae sordes maxima ex parte acidae, raro

virides et amarae erant. Uno eodemque die raro vomitus repetitus est, in ipso morbi decursu prorsus desiit.

Lien omnium aegrotorum tumidus fuit: quamquam tumoris magnitudo summam differentiam praebuit. Ille enim apud alios vehementer intumuerat, apud alios vero tumor tam erat exiguus, ut jure aliquis contendere potuisset eum omnino non subesse.

Respirationis organa.

Catarrhus bronchiorum, qui semper typhum comitari solet, plerumque extrema hebdomade prima apparuit et lenior quidem fuit, ita ut convalescentes eo jam prorsus vacarent. Semel tantum pneumonia crouposa lobuli sinistri posterioris exstitit, transiit autem tam vite et legitime, ut plura a me de hac re proferri necesse non habeam. Dyspnoea aliquoties tantummodo animadversa est, nec quidquam omnino hac in re inquisitio thoracis, nasi, laryngis profecit. Quo accessit, ut tota quoque meteorismi vis mediocrior esset, quam quae respirandi molestias excitare potuisset. Unde sequitur, ut tota haec res non nisi in aestu quodam febrili posita fuerit.

Sanguinis profluvia.

Profluvium sanguinis e naribus primis morbi diebus certo tempore fieri solebat, at vero in conspectum nobis venit tantummodo apud gravius aegrotantes ac majores natu: apud minores natu ne semel quidem evenit. Finito autem eo profluvio capitis dolores qui antea aegrotos maxime cruciaverant, paulum remittebant.

Exanthemata.

Conspiciebantur roseolae et sudamina, quae maxime propria sunt hujus morbi. Quorum eruptio ante quartum diem perraro, et plerumque intra sextum et duodecimum diem facta est. Duobus autem in casibus, vehementissima morbi

natura, simul cum aucta temperatione roseolae novae visae sunt. Ac roseolae quamquam crebritate diversissimae semper erant, prorsus tamen nullo tempore defuerunt: sedem autem perpetuam in epigastrio tenebant. Nec tamen pro certo dici potest, exanthematorum rationem momenti aliquid ad morbi exitum habere; nos potius experientia docuit nec minorem nec majorem exanthematorum numerum quidquam omnino valuisse. Sudamina saepissime apud eos aegrotos proruperunt, quorum cutis maxime erat neglecta. Quae sudamina num gravibus tantum sudoribus gignantur, hoc valde in dubio pono; initio enim cum ea apparerent, sudores neque antecesserant neque etiam hoc eodem tempore sunt orti.

Urinae secretiones.

Urina maximam partem rarius reddebatur rubrumque habebat colorem, exceptis tribus casibus, in quibus albumen parsim apparebat. Sed ejusmodi secretiones non erant diuturnae, eaeque num cum complicatione quavis quopiam modo cohaereant difficile est ad dijudicandum. Dysuria in uno e periculorissimis casibus crisis tempore reperta est. Saepius etiam volentes aegroti urinam reddebant. Remittente febri apud plerosque urinae secretiones accrescebant, et adeo nonnunquam, ut polyuria orta videretur. Quae urinae reddendae ratio usque ad convalescendi tempus permanebat.

Cephalalgia: vertigo.

Quarum rerum cognitionem satis certam adipisci difficile non erat, propterea quod aegroti ipsi percontantibus nobis tam commoda et prospera responsa dabant, ut ne ulla quidem remaneret dubitatio. Equidem diversa, quae Taupinus ad perspicienda illa mala posuit indicia, levioris tantum momenti et plane supervacanea esse censeo. Quare etiam

subtiles ejus de hac re contemplationes hoc loco mittamus. Aegroti et manu eam capitis partem tangebant, quae summo dolore cruciabatur et ipsis querelis sedem doloris satis indicabant. Quod attinet ad vertiginem, ejus inde maximam partem consecuti sumus notitiam, quod nonnulli aegroti nonnunquam se cadere aut lectulum promoveri opinantes valde conquerebantur. Unumquodque malum a capitis dolore originem duxit; is autem brevi jam tempore post et plerumque intra septimum et decimum diem sublatus est. Perpetua ejus sedes in fronte fuit: remoto autem eo acerrima vertigine aegroti affici coepti sunt, et diutius quam capitis dolore. Atque ea nonnunquam tanta erat, ut aegrotus improviso e lectulo escendens concideret aut sedens in sella sublevari deberet. At vero id malum convalescentibus aegrotis paullatim depulsum est.

Deliria; perturbatio.

Delirium atque perturbatio in singulis aegrotis maxime noctu a nobis animadvertebantur. Aegroti autem delirio correpti perpetuo ejulabant, alii opinantes se ab insectatoribus vexari, alii opinione perterriti, ne alieni homines ante ipsorum oculos versarentur. Sed hoc delirii genus haud diu stetit, ita ut raro quatuordecim dierum spatium excederet. Duo autem aegroti adeo delirio capti sunt, ut prorsus conscientia privarentur, ipsique postea, ubi jam convalescere coeperunt, in remotis se terris aliisque in vita conditionibus versatos esse narrarent. Recuperato autem demum somno quieto conscientia quoque rediit. Aegroti nostri, quamdiu in febri erant, somno tranquillo non modo non fruebantur, sed etiam in prima et secunda morbi periodo saepissime prorsus caruerunt. Quae somni inopia in tertia periodo nonnunquam tam incommoda atque importuna erat,

ut aptis remediis perpetuam illam concitationem sedare coacti essemus: atque eae prosperum fere semper successum habere videbantur. Interpellatio motus, capitis dolores, vertigo creberrima satis certa indicia erant; ac praeterea etiam initio aegrotos dormientes toto corpore cohorrescentes saepe conspeximus.

Subsultus tendinum autem bis tantummodo nec nisi in vehementer aegrotantibus observatus est. Atque iis quoque malis quae maxime conferebant ad debilitandos aegrotos, repressa loquendi facultas adnumeranda est; tremor enim linguae et maxillarum tam vehemens saepe fuit, ut aegroti nonnisi balbutire possent. Totius autem corporis tremor tantum vehementissime aegrotantes invaserat, omninoque defuit in iis quorum aegrotatio levioris erat naturae. Surditas et aurium sonitus apud plerosque primo morbi initio gignebantur: quae ortae sunt inde a catarrho tubae Eustachii. Pupillae maxime dilatatae lentissimaeque in percipiendo lumine erant. Unius aegroti cutis facillime ita movebatur, ut tactum vel minimum vehementissimi illius clamores sequerentur.

Qui status ineunte tertia hebdomade initium cepit, evanescebat autem paullatim inde ab eo tempore, quo sanitas restitui coepta erat. Atque semel etiam typhus recidivus observatus est. Unus enim ex aegrotantibus, qui quarta hebdomade jam prorsus convalescebat, subito iterum in typhum incidit, et, ut nobis quidem visum est, quod praecepta notra non observans parum diligens valetudinis tuendae fuerat. Febris nunc multo vehementior exstitit quam in primo morbo lienque intumuit et roseolae, quamvis rariores, apparuerunt atque etiam ejectiones erant profusiores. Attamen etiam ex hoc altero morbo aegrotans convaluit.

Decubĭtus in gravioribus casibus jam sub finem secundae hebdomadis ortus est; is autem nihil ab adultorum typho

laborantium decubitu differebat. Semel decubitus, qui summum excitavit dolorem, in aversa parte capitis repertus est: cum autem brevi post aegrotus in summam concitationem febrimque atque aestum incideret, hujus rei causam inde ab illo decubitu repetendam putavimus.

Novi typhum subsequentes morbi.

Eorum qui plerumque typho sublato progigni solent morborum, ut neuralgiae, clauditatis, anaestheriae, animi morbi, tabis, perdurantis anaemiae, hydraemiae, tuberculosis, haud ullum nos animadvertimus. Creberrima autem ex hoc morborum subsequentium genere et molestissima erat furunculosis. Plurimi furunculi in cervice atque in natibus reperti sunt: qui dolorem paene nullum excitabant praeter unum, qui erat in capillata capitis cute. Semel longius extentam tunicae cellulosae colli inflammationem observavimus, quae ne ingravesceret incisione tempore instituta provisum est. Tabes et defectio musculorum nonnisi in nonnullis aegrotantibus majoribus natu videbatur; minores enim natu celerrime vires suas renovabant: quo maxime breve morbi tempus contulisse censemus. In omnibus casibus semel tantummodo nobis subsequentem gravioris momenti morbum cognoscere contigit. Una ex aegrotantibus enim extrema hebdomade tertia coxita dextri lateris affecta est, quae maxime convalescentiam duxit.

Nec priusquam luxatio capitis femoris posterioris apparuit, febris aestusque sublatus est. Aegrota adhuc curatur nec nostro quidem judicio verisimile est conatum repositionis capitis femoris efficiendae prosperum habiturum esse exitum.

Diagnosis.

Difficilius est cognoscere, qualis in parvulis typhi natura sit quam in adultis. Illius enim aetatis cum omnino haud facili opera certam morborum cognitionem adipisci nobis contingat, tum potissimum etiam quaestiones de eius typho institutae difficultate haud parva laborant, propterea quod morbi quidam infantium saepenumero cum typho commiscentur. Ac maxima ex parte leviores parvulorum typhi nihil aliud saepe nobis esse videbantur nisi gastricus aut intestinalis catarrhus acutus. Quare proprias ponere notas nobis propositum erat, quibus typhus ab his differret morbis. Reperimus autem typhi proprium indicium jam primis initiis multo majorem esse corporis imminutionem atque confectionem vehementioremque concitatiosunt plenem, atque etiam simul cum iis leviora existere deliria. Ejectiones sunt plerumque crebriores et conjunctae cum torminibus in fossa iliaca; lien est tumidus; animadvertuntur denique roseolae, sudamina, febris intensior, bronchitis. Graviores autem febres typhosae quae facile confundi possunt cum tuberculosi acuta, meningite tuberculosa, meningite, semel nobis dubitationem injecerunt, utrum morbus, quem tractabamus, tuberculosis esset an typhus. Differentialis autem nostra diagnosis in hisce posita erat: Tussis et dyspnoea in acuta tuberculosi multo prius et multo majori vi exsistunt quam in typho. Nec vero etiam in illa reperias roseolas aut incrementum lienis, quae typhi indicia sunt maxime propria. Atque etiam meteorismus alienus est ab illo morbo; quo saepius ventris contractio observata est. Typhus nunquam se conjungit cum tuberculosi, quare etiam accurata thoracis inquisitione ad cognitionem satis

certam pervenimus. Temperatio quoque auctore Wunderlicho in acuta tuberculosi multo minus augetur quam in typho.

Prognosis.

In omnibus casibus exitus morbi prosperrimus nec unquam mortifer fuit. Sed meum judicium de hac re gravissima proferre non conor; quare nunc mihi liceat, quae Rilliet et Barther de ea judicant, paucis exponere. Tristissima prognosis in adultorum typho semper intestinorum est perforatio; quae complicatio rarius apud parvulos reperitur. Ejectiones autem continuae sunt apud hos omen detestabile; sed dejectiones non voluntariae non tam crebro fiunt apud eos parvulos, de quorum recreatione nullum dubium exstat, quam apud eos qui morbo opprimuntur. Inter periculosissima indicia primum locum obtinet vehemeus ventris inflatio: qua multo periculosior est alvi contractio. Sed roseolae, sudamina, tormina, incrementum lienis levioris esse momenti videntur, quam unde satis certe morbi exitum prospicere possimus. Vomitu saepius ii, qui morti succumbunt quam qui convalescunt, afficiuntur. Nec non lingua per totum morbi tempus uvida manens omen bonum habetur; deliria autem perpetua summum timorem injiciunt, ne aegrotans ex vita sit decessurus. Quamquam somnia perpetua omnino minus sunt periculosa, conscientia tamen prorsus sublata inter tristia [omina est referenda. Convulsiones autem fere semper mortem aegroto afferunt: sed subsultus tendinum, qui in uno quoque nostrorum aegrotantium majore vi exstitit, nullius omnino momenti esse dicitur. Atque etiam acris febris minus periculum molitur quam arteriarum pulsus inaequalis et languidus. Omnino sic est'

statuendum, quo minus aetate provectus aegrotus sit, eo leniorem progressum et prosperiorem esse exitum. Maximam autem partem pueri vehementius typho quam puellae affici dicuntur.

Therapia.

Longum est omnia remedia singulatim enumerare, quae commendantur ad febrim typhosam removendam; de iis igitur tantum dicamus, quae a nobis in sanandis parvulis adhibita sunt. Curandi autem nostra ratio fere semper expectativa erat; fortioribus enim remediis propemodum haud unquam usi sumus nec nisi coacti summa necessitate ad ea refugimus. Atque ut omittam Calomelanos et Digitalis usum initio aegrotis plerumque acida cum infuso Ipesacnanhae aut pituitosa dabamus. Summa autem opera enixi sumus, ut quantum fieri posset res adversas ab aegrotis retineremus viresque eorum jam ab initio severîs diaetae praeceptis quam validissimas redderemus. Deinde providimus, ut cubiculi temperatio quam moderatissima semper et aequissima lectusque quam commodissimus esset linteaque quam saepissime mutarentur. Ac vero censentes alimenta plus quam medicinas proficere, ab initio aegrotantibus lac et aquam commendavimus. Cum autem tertia hebdomade aegroti alvo essent astricta collapsusque immineret non jam cunctati sumus, firmos iis cibos praebere. Itaque sive ipsi aegroti sumptus tolerare poterant sive nosocomium res necessarias munifice exhibuit, sive nos ipsi de nostro numeravimus pecuniam, ova, jus ex bubula factum, Chininum, vinum rubrum acceperunt. Quamquam vetitum est, parvulis typho affectis Morphium dari, nos tamen tertia hebdomade nonnunquam vespertino tempore, summa aegrotantium conci-

tatione, portionem ejus quandam ad sedandam corporis affectionem adhibuimus. Cujus remedii eventus fere semper prosperrimus fuit. Profusos sudores Chinino taunico depellere studuimus. Fere omnes aegrotos tres per dies aceto et aqua lavari et nonnonquam etiam, acerrima febri, fomenta iis frigidissima imponi jussimus: decubitui autem eo occursum est, ut summa sustentaretur munditia. Convalescentibus diligentissimam valetudinis curationem praescripsimus.

Vita.

Natus ego sum Hermannus Friedrich, Loitzschensis, quarto die ante Kalendas Februarias anno 1838. patre Christopho matre Christina e gento Landes, quibus viventibus adhuc gaudeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Elementis litterarum instructus gymnasium Zitzense et Gymnasium Halense, cui nomen est Scholae latinae, frequentavi. Maturitatis testimonium nactus primum in almam litterarum academiam Herbipolensem, tum Halensem me contuli. Scholis interfui hisce:

Ill. Kölliker, de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia. Ill. H. Müller, de histologia. Ill. Liberer, de chemia anorganica et organica; doctiss. Biermer de encyclopaedia medicinae artis. Ill. Erdmann de logice. Ill. Girard, de mineralogia. Ill. Heintz, de exercitationibus analyticis disquisitionibusque chemicis in laboratorio chemico. Ill. Schlechtendal, de botanice. Ill. Burmeister, de zoologia. Ill. Knoblauch, de physice. Ill. Volkmann de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia oculi. Ill. Welker, de anatomia sensuum. Ill. Krahmer, de pharmacologia, de medicina forensi; doctiss. Mann, de patho-

logia et therapia generali, de auscultatione et percussione. Ill. Vogel, de pathologia et therapia speciali, de morbis cutis, de semiotice et diagnostice. Ill. Blasius, de chirurgia generali et speciali, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia vulnerum, de akiurgia, de chirurgorum auxiliis mechanicis; de operationibus ophthalmiatricis; Beat. Hohl, de arte obstetricia.

Scholis clinicis interfui apud Ill. Blasius chirurgico ophthalmiatricis, apud Ill. Vogel et Weber medicis; apud beat. Hohl et doct. Olshausen obstetriciis.

Quibus omnibus praeceptoribus meis carissimis optimeque de me meritis, pio animo gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses.

I.

Tetanus neonatorum non semper traumaticus.

II.

Typhi therapia nonnisi symptomatica.

III.

Labii leporini operatio paucis post partum horis instituenda est.